

## DE CONSCIENTIA:

§. 5. Hinc facile constat, quid per *casum practicum* intelligatur: quaestio scilicet controversa aut dubia, quae concernit praxin vel actionem, an sit suscipienda, an non, an hoc vel illo modo, an licita sit an non licita? vocatur ab aliis *casus conscientiae*, quia talis quaestio controversa saepius *conscientiae* negotium facessit, donec rectum iudicium formet, in quo quis acquiescere, aut certi quid statuere possit. Vid. B. König. *cas. cons. proem.*

§. 6. Circa id quod dictum est, *casum practicum* esse quaestionem controversam; *quae praxin concernit*, dubium oritur: nam ad *casus practicos* referri etiam solent quaestiones de credendis & non credendis, an huic vel illi propositioni assensus sit praebendus, an non; assensus vero est actus intellectus, adeoque non est praxis, cum praxis non sit operatio intellectus, sed alterius facultatis. E datur *casus practicus*, qui non est quaestio *concernens praxin*, sed actum aliquem intellectus, qui non est praxis. Resp. Falsum est, quod operatio intellectus non sit praxis: Si enim dari potest actus, qui operationem intellectus vel intellectionem praescribit, quod, vel quomodo institui debeat, qui formaliter practicus est, sequitur operationem intellectus v. g. assensum esse praxin: antecedens est verum. E. & consequens. Consequentia patet, quia actus formaliter practicus inde habet suam appellationem, quod praxin praescribit vel dirigit: si ergo praescribit vel dirigit operationem intellectus, utique operatio intellectus etiam praxis est; ante ed. patet, quia v. g. hic actus, qui praescribit sub ratione revelationis divinae assensum praebendum esse huic propositioni, *Christus est verus Deus*, est formaliter practicus, & praescribit operationem sive actum intellectus, nempe assensum.

§. 7. Definire potest *casus conscientiae*, quod sit quaestio de actione, quae vel propter legis, ad quam conformari debet, difficultatem aut obscuritatem, vel propter circumstantiarum, quibus involvitur, varietatem & perplexitatem, inter honestum & inhonestum, licitum & illicitum, in ambiguo posita est, ut agentis animus non illico iudicare possit, *quid aut quomodo agendum, quid omittendum*, salva autoritate legis & benevolentiae divinae. Vid. B. Dürr. *Theol. moral. p. 50.*

§. 8. Sicut autem Arist. l. i. Top. c. ii. docet, quod non oporteat omne problema, aut omnem thesin in quaestionem vocare, e. g. an sol luceat, an nix sit alba nec ne? ita *casus*, qui conscientiae dicuntur, & de quibus h. l. sermo est, non moveri debent ex quibuslibet rebus, v. g.  
quae